

P R A E F A T I O.

PRODEUNT tandem Persae, serius quidem quam pollicitus eram; sed quominus promissis starem, obstiterunt caussae, quas lectoris nihil interest ut in hoc loco referam. Prodeunt autem, si non emendati, at certe emendatiores quam in prioribus editionibus, et nonnullis in locis nova luce suffusi.

Subsidiis vero, quibus in Prometheo et Septem contra Thebas adornandis usus eram, nihil ad hanc fabulam adjumenti accessit, praeter varias lectiones codicis cujusdam, quo, inter alios libros manuscriptos, munificentia Praesulis, qui hodie sedem Cantuariensem tenet, bibliothecam Lambethanam haud ita pridem ditavit. Sed nescio an vere dixerim librum istum a me collatum fuisse. Etenim quum occasio codicis evolvendi insperanti mihi oblata esset, summa cum festinatione, sine Aeschylo impresso, et memoriae tantum fidens, perlegi. Est autem liber iste chartaceus satis bonae notae, scriptura, ut videtur, saeculi xiv^{ti}, nitida et distincta. Lectiones quasdam optimas praebet, quarum unam, quae fuit in textum adsumenda, nescio qua incuria factum est ut silentio praetermiserim. In v. 125.